

X. 7.  
2

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
JURE PROTIMISEOS  
SEU RETRACTUS  
QUAM  
AUSPICE DEO

Inà cum positionibus ex universo Jure,  
pro consequendo  
ab almà & antiquissimâ Trevirorum  
Universitate  
Juris utriusque Doctoratu,

*Publica discussioni supposuit*  
SIMON DANIEL WERNER Trevir,  
*praviâ disputatione publicâ exercitatoriâ, tentamine,  
& examine rigorofo*

Ad decretoriam hanc pugnam admissus.  
in Auditorio majore juridico

Die 13. Augusti horâ octavâ 1749.

---

*Augusta Trevirorum, apud J. C. Reulandt, Aul. & Univ. Typogr.*

DISSERTATIO INAUGURALIS

D E

JURE PROTIMISEOS

IN RETRACTUS

ALPHEDEO

Una cum positionibus ex iustro Jure

ad alia & ...

...

...

...

...

...

...

D  
EP  
Em  
chi  
Sur  
Ge  
chi  
nar  
fim  
cel  
f  
DO



REVERENDISSIMO  
ET  
ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. JOANNI NICOLAO  
AB HONTHEIM,

DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ

EPISCOPO MYRIOPHITANO,

Eminentissimi ac Celsissimi Domini Ar-  
chi-Episcopi & Electoris Trevirensis  
Suffraganeo, in Pontificalibus Vicario  
Generali, Consiliario intimo actuali, Ar-  
chi-Episcopalis, Metropolitanæ, ac ordi-  
nariæ, Curia Officiali, almæ & antiquis-  
simæ Trevirorum Universitatis Pro-Can-  
cellario, insignium Collegiatarum Eccle-  
siarum S. Simeonis Trevis, S. Florini  
Confluentiæ, & Ss. Martini & Severi  
in Münster-Meyenfeld respectivè  
Decano, & Canonico &c. &c.

DOMINO ac PATRONO SUO perquam GRATIOSO.



REVERENDISSIME  
A C  
ILLUSTRISSIME DOMINE  
D. EPISCOPE,



*Ecce prodit! à me de protimiseos seu retractûs  
jure specimen quoddam ut probem studium  
& sustinendo de super conflictu publico ad  
summum utriusque juris gradum ascen-  
dere valeam.*

*Cùm autem tot inter tantâsque, queis jura tam  
scripta quàm non scripta in scholis equè ac foro suos  
cultores torquent, difficultates notoriè non ultimo loco  
veniat illa de retractu; novitatis meæ in jurium studio,  
ac in jurisprudentiâ tenuitatis mihi memor, variis dif-  
ficultatibus territus specimen hocce inaugurale publicè  
tentare non decrevissem, nisi per eum per quem funda-  
menta non meritis accepi, coronidem gratiosè imponen-  
dam esse confidenter sperassem.*

*REVERENDISSIME & ILLUSTRISSIME  
DOMINE EPISCOPE! si patrocinio TUO, sicut  
ante, nunc sustinear, spe certâ fretus sum, fore, ut, si  
sub Illustrissimo nomine TUO specimen hoc meum in  
publicum prodeat, cuique placeat conatus, sicque mihi  
à TE superabundanter adveniat id, quo ego planè de-  
stitutus sum.*

*Ne-*



Neque autem eatenus mihi opus est, ut TUA huc  
toto ordine recenseam optimas quascunque rarissimas-  
que qualitates, merita, laudesve cumulem. Scit etenim  
inclita Alma hujus Universitatis Facultas Juridica,  
qualem superioribus annis in TE habuerit intricatissi-  
mi Codicis Digestorumque studii Professore[m] & Ante-  
cessorem; scit ipsa Universitas, qualem modò in TE ha-  
beat Pro-Cancellarium Dignissimum ac sui Protecto-  
rem meritisimum; scit usque adeò tota nostra Treviro-  
rum Patria qualem in TE habeat EMINENTISSI-  
MI ac CLEMENTISSIMI ARCHI-EPISCOPI,  
& PRINCIPIS ELECTORIS NOSTRI Consiliari-  
um status Intimum, qualem in superiori hac Archidiecesi  
Officialem, qualémque Episcopum Suffraganeum; nimi-  
rum (ut paucis dicam) in maximis maximum, in omni-  
bus omnem, in arduissimis molestissimisque indefessissi-  
mum.

Quandoquidem verò ego ex hisce privilegiatus non  
existam, ac forte potius, quod tam rectà TE adierim,  
aut Illustrissimi nominis TUI usurpator videri, aut sal-  
tem frivola de TUA erga me gratiâ presumptionis su-  
spicionem contrahere possem; quod intimidè ausus sum,  
ne mihi sinistrè imputes, humillimè rogo.

TUA namque, qua omnibus equalem TE scio, fe-  
cit benevolentia, ut sub TUA auspiciis quoque concur-  
rerem; TUA, qua rem literariam maximè cordi habes,  
affectio animum adjecit, ut nomine TUO has studii mei  
primi-



primitias illustrarem, illique dedicarem illas atque consecrarem; aliunde insuper certus, raro aliquem tam scrupulosum rerum aestimatorem esse, cui surculi alicujus, ut ut parum pretiosi, fructus primi non placeant arrideant-ve. Quinimo, cum TU mihi nuper Dominus, ego vero TIBI servus fuerim, TUA erga me gratiâ habui, quod jurisprudentiæ in tantum incumbere, inque ea laborare operarique potuerim, ipsa igitur tandem justitia est, que me adstringit, ut tibi villicationis meæ rationes reddam atque exhibeam.

Quapropter VIR REVERENDISSIME atque ILLUSTRISSIME! patiaris quæso concursum meum ad TE! ut sub TUIS auspiciis videar qualis illis exclusus videri minimè possem; patiaris quòd nomine TUO in hisce pagellis superbiam! recipe benigniter! quod TIBI in grati animi obsequium indignum quidem non autem in debitum devotus offero, ut pateat animi obsequiosissima devotio; subscribe gratiosè! quod TIBI in justa villicationis monumentum exhibeo reddoque, ut justificatus à TE laudes servi boni qualiter qualiter promerear. Servet TE Deus incolumem! ego in obsequiis servitiisque TUIS non nisi morte retrahendus perennam.

Reverendissimæ ac Illustrissimæ  
Episcopalis Dignitatis TUÆ

Servus ac Cliens humillimus  
SIMON DANIEL WERNER.







§. III.

*Quanam  
necessitas  
hominis  
coegerit à  
primavâ  
illâ com-  
muniione  
bonorum  
recedere.*

**A**St ex quo per Univerſum terrarum Orbem diſperſis, & in innumerâs familias diſtractis hominibus, quædam res non ſufficere omnibus cœperunt, quædam omnino ob inſignem Copiam ſuffecerunt : ipſa homines impulit neceſſitas, ut in ea, quæ non omnibus ſufficerent dominium aliquod inducerent : ſolis inexhauſti uſûs rebus, quas in dominio eſſe nulla juſſit neceſſitas, nec non rebus nihil ad vitam conſervandam, ſuaviterque traducendam pertinentibus, in priſtinâ communionem, negativâ permanentibus,

§. IV.

*Quanam  
origo pa-  
ſſorum,  
alienatio-  
num, &  
commer-  
giorum.*

**I**Nductâ autem bonorum diſiſione, cùm non quælibet ferat omnia tellus, ſæpiùs contingebat, ut aliquibus rebus quis abundaret, aliis verò ſibi inſimul neceſſariis careret, ut unus carens cibariis abundaret eſculentis, alter abundans eſculentis careret cibariis, ut carens prati abundaret prædiis, ut abundans rebus mobilibus careret immobilibus. Non tantùm conſultiſſimum, ſed vel maximè neceſſarium fuit ad vitam conſervandam ſuaviterque traducendam, ut permiſſum foret res ſuas alienare, ut quilibet rerum ſuarum liber moderator eſſet, & arbiter, utque in eum, quem quis vellet, res ſuas alienaret, & irrevocabiliter alienare poſſet. Cui conſequens eſt, quòd huic rerum aliarum neceſſariarum jam deſcriptæ, carentiæ pleraque pacta, contractus, alienandi poteſtas, & jura commerciorum ortum ſuum debeant.

§. V.

*An juſ re-  
tractis*

**S**Icut itaque nihil tam contrarium eſt libertati commerciorum & naturali, quàm ſi cuiſlibet pern. iſſum foret,  
rem



rem qualemeunque, taliter alienatam, ab alienatore sine, *competat*  
 vel etiam cum restitutione pretii dati rursus revocare, (§. de jure na-  
 IV.) \* & insuper revocatio proprietatis alienandi potesta- *tura.*  
 tem supponit. Consectaneum est, pro statu durantis com-  
 munionis talis negativæ, etiam de jure naturæ loquendo,  
 non adfuisse terminos habiles pro ejusmodi revocatione,  
 aut retractu. Sicut quoque non omne illud, quod ad me-  
 lius & splendidius esse generis humani pertinet, à jure na-  
 turæ consideratur, nisi hoc cum jure positivo in totum con-  
 fundere velimus, ita quoque moveri non possum, ut pro  
 statu supponente dictam bonorum divisionem justale re-  
 tractus pro partu juris naturæ ita simpliciter admittam.  
 Prout quoque illud expref à constitutione pro statu civili  
 reprobaverunt Imperatores *Valent. Theod. & Arcad. in l.*  
*dudum Cod. de contrahend. empt. & vendit. \*\**

\* Quis enim tantam curam, pericula & labores pro com-  
 mercii subiturus esset, si sciret rem sibi comparatam,  
 ab aliis restituta etiam eodem pretio retrahi posse?

\*\* *Dudum proximis, consortibusque concessum erat, ut Extraneos  
 ab emptione removerent, neque homines suo arbitratu vendenda  
 distraherent: sed quia gravis hac videtur injuria, qua inani ho-  
 nestatis colere velatur, ut homines de suis rebus facere aliquid  
 cogantur inviti: superiore lege cassatâ, unusquisque suo arbi-  
 tratu querere, vel probare possit emptorem: nisi lex specialiter  
 quasdam personas hoc facere prohibuerit.*

S. VI.

**V**ERùm, cum anima legis ejus ratio, finisque ejusdem *Quoniam*  
 fortissimus sit salus publica, & sub sole vix aliquid *sint ratio-*  
 constans reperiat, sic sæpè evenit, ut illud, quod hoc tem- *nes sua-*  
 pore reipublicæ est saluberrimum, & ad ejus conservatio- *dentes re-*  
*tractum.*



nem necessarium, pro alio tempore foret nocivum, videmus hoc in (§. I. II. & III.) circa communionem negativam, & mille aliis exemplis commonstrari possiet. Ita sane res se habet circa jus retractus. Bonum enim publicum, familiarum splendor, reipublicæ fulcrum, & sociorum, vicinorumque interesse nimiam istam irrevocabiliter in quosvis alienandi potestatem circumseribi quandoque jubent. Quibus sedulo consideratis satis conceptibile erit, quare quandoque alienationum irretractabilium, commerciorumque libertas, aliâ autem temporum vicissitudine jus retractus, jure positivo triumpharit aliis vicibus rursus respectivè in fugam acta.

### §. VII.

**P**rofectò tum dicta alienationum commerciorumque libertas, tum jus retractus tam fortia sibi respectivè & contra se invicem fœdera constituerunt, ut satis anceps dubiumque diu fuerit, pro quâ parte victoria canenda foret. Alienationum irretractabilium & commerciorum libertas pro se habent jus naturæ, ut demonstratum (§. V.) habent & pro se jus civile novissimum, ut constat ex (§. cod.) jus retractus pro se habet jus divinum, \* sustinetur quoque à Canonico per *Cap. constitutus* & *de in integrum restitutione*. æque ac jure Civili digestorum per *L. cum bona* 16. ff. *de rebus autor. jud. possid.* \*\* *L. si in emptionem* 35. ff. *de minor.* \*\*\* sicut & per *Constitutiones Friderici Imperatoris* *W. feud. Tit. XIII. XIV. & XV.*

\* *Lev. 25. v. 25.* ubi scribit Moses: *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod illi vendiderat.*

\*\* *Cum bona veniunt debitoris, in comparationem extranei, & ejus*



*ejus qui Creditor, cognatusque sit potiores haberi Creditorum, cognatumve.*

*Si emptionem penes se collocatam minor adjectione ab alio superetur, implorans in integrum audietur, si ejus interesse emptam ab eo rem fuisse ad probeatur; veluti quod Majorum ejus fuisset: ita tamen ut id, quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori.*

§. VIII.

**C**opias subsidiarias juris retractus parum efficere posse, ex eo palam fit, quod (I.) citatum jus divinum ad leges forenses referri soleat. Leges autem divinæ forenses nostram politiam non obligant, nisi in quantum receptæ, sed ad sceptrum Judæ, quod gloriosissimo Messia adventu translatum est *Genes. 49. v. 10.* pertinent. Quod (II.) jus Canonicum in anteriore §. allegatum notorie jus universale ibidem non introducat, sed in consuetudine particulari se tantum fundet. (III.) Jus Digestorum, si quod esset, per citatam supra *L. 14. Cod. de contrahen. empt. immutatum est.* Sed sicut conatus populares experientiam etiam novissimam teste fortissimi sunt, maxime si circumstantiæ ad sunt, ubi obtinet illud: *est capsu facilis turbata piscis in unda.* Ita & hic populi ferè universalis consuetudo mediatricem, sed tamen ad intentum valde attemperatam egit, utrique belligerantium possessiones aliquot fortalitorum relinquendo. Et quidem, cum commercia circa res mobiles potissimum exercentur, ejusdem libertati has plerumque reliquit, ut patebit ex dicendis infra (§. XXIX.) juri autem retractus ad continuandum familiarum splendorem res immobiles addixit, quæ eò firmior est, quò illa ad dispositionem juris divini (§. VII.) laudatam, accedit propius.

*Quid consuetudo fecerit circa jus retractus.*

§. IX.



*Qualem  
authorita-  
tem habe-  
ant consti-  
tutiones  
Imperato-  
ris Fride-  
rici circa  
jus protima-  
scos.*

**H**is aliquâ ratione obstare posse videntur allegatæ (§. VII.) constitutiones Imperatoris Friderici, utpote in Corpus juris feudalis relatæ: maximè, cum allegans pro se legem intentionem habeat fundatam ex præsumptione. Quæ ejus roboris esse solet, ut observantiam legi scriptæ contrariam asseveranti non sufficiat sola probatio non usûs, sed necesse sit, ut probetur & casum in lege vel constitutione comprehensum sæpius evenisse & tamen longo retrò tempore contrarium observatum fuisse; *arg. L. sancimus 27. Cod. de testam. & L. Atilicinus ff de servit. rust.* Verùm cum Constitutiones hæc subnectantur capitulis extraordinariis, quæ extant in Lib. 5. feud. æque parum hæc, quàm Capitula illa extraordinaria, quæ notoriè illam non habent, habebunt auctoritatem legalem, attento, quòd his neque Consul, seu annus, neque locus, ubi promulgatæ sint, adjectus appareat, quod tamen in aliis legibus, & constitutionibus authenticis tam anterioribus, quàm posterioribus plerumque fieri consueviffe constat. Tum etiam quòd nullibi doceri possit, procerum Imperii consensum, pro istis temporibus tamen ad legem universalem condendam notoriè requisitum, his ullibi accessisse. Ex quibus omnibus uno impetu concidunt, quæ pro robore dictarum constitutionum Imperatoris allegata fuere aut ulterius allegari possent: cum illa tantummodo de legibus semel legitime latis, & authenticè probatis intelligi & applicari possent.

§. X.

**Q**uamvis itaque jus scriptum, & Constitutiones Fridericianæ circa jus protimascos, & retractûs in rebus  
inmo-



immobilibus parum aut nihil efficere valeant (§. VIII. & IX.) Consuetudo tamen cui juxta *Cap. 14. de appellat.* plurimum aliunde tribuendum est, & locorum statuta, quæ notoriè vim legis habent illud pro locorum diversitate potissimū determinant, ampliant aut restringunt. Quæ cuilibet pro provinciâ suâ probatissimus erunt lapis Lydius. Multarum nationum nominatim Germaniæ & Galliæ moribus jus hoc retractūs, signanter si de retractu consanguinitatis quæstio est, amplissimè receptum esse docent Tiracquel, Reinkinck, Zoësius, in *suis Tractat. & respectivè Tit. de retractu.* Jus illud in illis locis ubi jus Saxonicum & Alemannicum viguerunt usu receptum fuisse, & adhuc potissimum obtinere pro more suo solidissimè comprobat Heinec. in *elem. suis jur. German lib. II. Tit. XIV. §. CCC. CCCCI. CCCCII.*

\* Quod inter cætera eo lubentius cito quòd hoc in ordine ad examen rigorolum deducendum & resolvendum per sortem nuper mihi obtigerit.

§. XI.

**R**etractum ex jure Vicinitatis in specie in Ducatu Bre- *Ubi jus*  
 mensi Mevius *part. 2. decis. XXX. in fin. & part. 7. decis. congrui*  
*CVIII. in Thuringiâ Carpz part. 2. constit. 31. def. 3. Sutor seu retract-*  
*cap. 5. Thes. 84. in Territorio Coburgensi Berger æcon Jur. Etus vicini-*  
*lib. 3. not. 4. usu recepta esse respectivè attestantur. Cum nitatis ob-*  
 verò insimul de quàm pluribus aliis Provinciis de receptione ejusmodi juris non constet, imò in Electoratu hoc Trevirensi jus congrui & retractūs ex Capite communionis, aut vicinitatis, prout per præfatam Constitutionem Fridericianam induci voluit expressio statuto in totum abrogatum est *Tit. XX. §. 9. Jur. Status.* \* sequitur, quòd volens hoc *An & quando quis in jure*  
 jure



*retractus se fundans illud probare sancatur.* jure uti, utpote cum in facto se fundet, consuetudinem talem aut statutum in dubio probare teneatur.

\* Das jus congrui aber/ oder die Einlösungs Gerechtigkeit/ so denen Gemeinshafteren und anstossenden Nachbarn durch Kaiser Friderichs Constitution de jure Protimiteos beygelegt und vergünstiget wird / solle in unserm Erbstift keine platz haben/ noch jemand unterm Schein/ und Vorwand einiger Abtheilung/ Gemein/ oder Nachbarschaft zu dergleichen Abtrieb oder Lösung zugelassen werden.

§. XII.

*Quid sit retractus Municipalis.*

Cum hoc retractu ex jure vicinitatis non confundendus est retractus municipalis, die Marck. Lösung/ competens Civibus Civitatum ad retrahendum bona sub jurisdictione talium Civitatum sita, si ab aliquo non cive empta fuerint, quod jus Municipale etiam in jure Civili novo fundamentum suum invenit per *L. un. Cod. non lic. habitat. metrocom. loc. sua.* \*

\* In illis, que metrocomia, communi vocabulo nuncupantur, hoc adjiciendum necessario nostra putavit humanitas, ut nulli extraneo illic quoque modo possidenti licentia tribuatur: sed si quis ex iisdem vicariis loca sui juris alienare voluerit: non licere ei, nisi ad habitatorem adscriptum eius metrocomia per qualemcunque contractum terrarum suarum dominium possessionemque transferre: se iente persona extranea, quod si contra vetitum se huic negotio immiscere, vel illic possidere tentaverit: quicumque contractus inisus fuerit, carebit effectu, & contractus soluto, si quid prestatum est, hoc tantum reddetur.

§. XIII.

*Quid sit retractus territorialis.*

Cum his quoque confundendus non est retractus territorialis tum locum habens, si extraneus bona in tali territorio sita aquirat, & quibuslibet subditis illa ex capite subdi-



subditorum retrahendi jus competat, potuitque hoc jus per consuetudinem & jura provincialia eò certius, & salubrius introduci, quo magis Dominis territorialibus interest, subditos suos immobilibus esse & manere possessionatos, ut eò facilius sic onera & servitia pro statûs sui conditione & conservatione necessaria obtinere possint.

§. XIV.

**Q**Uæ etiam ratio movens fuisse videtur, quod ordini Equestri S. R. I. per privilegia Imperatoria, sæpius iterata, concessum fuerit, ut etiam cuilibet membro permissum esset, bona equestria in non receptum in hunc respectivè ordinem vendita retrahere. \*

*Quaratione ordini Equestri in S. R. I. competat jus retractus illustris.*

\* Prout hoc constat ex facti specie, pro clementissimâ manutentiâ privilegii juris retractûs à sacrâ Cæsareâ majestare immediatâ nobilitati Rhenanæ & Wetteraviæ concessi in causâ Dnn. von Breidbach und von Eltz contra Closter Siegberg, Rommersdoff und Keyserfeld &c. apud Burgermeisterum. *Cod. diplom. Equestri pag. 677. relatum à Pffingero in instit. jur. publ. Vitriarii Lib. III. Tit. XXI. n. 23* qui Burgermeisterus quoque recenset privilegia desuper in favorem ordinis equestris ab Imperatoribus Ferdinando II. Ferdinando III. & Leopoldo successivè concessa.

§. XV.

**P**ROUT quoque Creditorum summoperè interest, suos debitores esse divites: ita reipublicæ maximè refert, si subditi sui immobilibus sint potentes (§. XIII.) idque de laicis potissimum intelligendo. Hi enim sunt primi illi reipublicæ debitores, si de angariis, parangariis, inhospita-

*Quare rebus publicis summopere intersit, subditos la-*

B

tionibus,



*eos posses-  
sionibus  
immobili-  
um esse  
divites.*

tionibus, de militum transitu, de pabulis, de vecturæ adju-  
mentis illis præstandis, si de excubiis agendis, de patriæ  
defensione, de accisis & similibus aliis quam pluribus on-  
eribus quæstio sit. Quibus omnibus, cum diminutis suis  
possessionibus laici sufficere non possent, ubi tamen res-  
publica, ejusdemque conservatio sine his subsistere non  
valeret, non video, cur multi tam tenaciter summæ pote-  
stati politicæ jus condendi legem, quam vocant amortiza-  
tionis, aut saltem bona immobilia à talibus, ut inquit,  
manibus mortuis retrahendi, ita indistinctè negent.

§. XVI.

**S**ANÈ Eminentissimus Elector noster Carolus Casparus  
glor. mem. hâc potestate saluberrimè usus est, dum  
20. Nov. 1655. Edictum prohibitivum; de non alienando  
bona Sæcularia in manus Religiosas promulgari fecit.  
Quam constitutionem, uti constat ex § VI. & VII. Tit. 2.  
Jur. statut. de anno 1668. æquè ac ex §. XIII. XIV. XV. & XVI.  
Tit. 3. Jur. statut. de anno 1713. Eminentissimi ejus Successores,  
non tantum expressè confirmârunt, sed & illud insuper de-  
clarârunt, (I.) ut omnia Collegia sive in sive extranea per  
dispositiones sive per legata sive per pacta, \* sive quocunq;  
titulo bona Sæcularia immobilia acquirere impostertum  
vellent, sub pœnâ nullitatis ante omnia consensum Emi-  
nentissimi, tum temporis regnantis, Archi-Episcopi inqui-  
rant, & impetrent. \*\* (II.) ut aliàs in casum, quo agnati,  
alienare attentantis intra annum & diem ejusmodi bona  
non retrahant, cœteris omnibus subditis Sæcularibus id  
quocunque tempore permiffum sit. (III.) Ut in bonis,  
quæ Monasteriis & Collegiis pro dote inferuntur, in  
quantum hæc pretium mille florenorum rotatorum, quem-  
libet

*Quid pro  
Electoratu  
Trevirensi  
de jure re-  
tractus  
circa bona  
Sæcularia  
in favo-  
rem Sæcu-  
larium  
subdito-  
rum sit  
eo. situ-  
um.*



libet florenum per 24. petros Trevirenses minores computando, excedunt, & in cæteris omnibus, titulo lucrativo dictis locis advenientibus, proximis agnatis retrahere volentibus, quarta pars, taxandi judicialiter pretii, remittatur, cæteri verò extranei soluto pretio judicialiter taxato ad eorum retractum admittantur.

\* Citat. §. 7. Thun auch hiermit / und in Krafft dieses verordnen / daß da hierunter einige liegende Weltliche Gütere / an solche Geistliche Elöster / und Collegia per dispositiones, legata, oder. pacta gebracht werden solten : solchen falls den Erben / oder nächsten Anverwandten / oder da deren keine wären / oder selbige nicht wolten / alsdan all andere Sæculares &c. gute Zug und Macht haben sollen / und mögen solche Gütere aus der Geistlichen Händen / quocunque tempore, zu reluiren / und an sich zu lösen zc.

\*\* Daß hinfürter alle Stiffter und Kirchen / Elöster und Collegia, so wohl Einheimisch als Ausländische / welche in unserm Erbstifte einige liegende Gütere quocunque titulo an sich bringen wollen / sich zu forderist bey Pœn der nullität bey uns der Gebühr anmelden / und darauff bescheid erwarten solten zc. Cit. §. XIV. jur. stat. de anno 1713.

§. XVII.

**N**Eque tamen ex hoc, quòd in (6. XVI.) dictum, ejusmodi consensum Eminentissimi sub pœnâ nullitatis requisitum esse, sequitur, alienantem pro libitu & in præjudicium cæterorum, quibus per alienationem jam jus quæsitum est, rem ad se revocare posse, nullitas enim illa non tam in favorem alienantis, quàm potius boni publici & cæterorum laicorum inducta est. Actio verò quæ pro his circumstantiis instituenda est, cum sit personalis in rem scripta, eam in foro rei sitæ institui posse, infra ostendam.

*Quomodo  
in dicto  
Trevirata  
consensu  
Eminentissimi  
Electorum  
opus sit, ut  
Ecclesiastici possint  
bona secum*



*Varia ac-  
quirere.*

Dum de retractu Consanguinitatis & Gentilitio in specie tractabitur, in ordine ad quem sit.

CAPUT II.

*De Retractu Consanguinitatis, seu Gentilitio.*

§. XVIII.

*Quanam  
ratio, cur  
consuetudo  
Introduxe-  
rit jus re-  
tractus  
consanguini-  
tatis.*

**F**amiliarum conservatio, splendor, & Eminentia potentissima omni tempore in jure privilegia, & prerogativas obtinere. Hæc causa fuerunt, ut jam tum de jure XII. tabularum agnati penitus excluferint cognatos, hæc causa sunt, quare tot introducta, & quotidie introducuntur fideicommissa & pacta familiarum, æquæ ac ganserbinatus, hæc sunt, quare in familiis Illustrioribus jus primogenituræ, aut majoratus obtineat, cur in feudis majoribus indivisibilitas stabilita, hæc sunt, quæ tot testamenta, aut amplissima legata secum trahunt, illorum spes multis parsimoniæ evincit, ubi aliàs prodiga liberalitas victoriam reportasset. Hæc itidem ratio illa fundamentalis sunt, inducti & consuetudine stabiliti juris retractus consanguinitatis & gentilitii (§. VI.)

§. XIX.

*Quanam  
axiomata  
ex defini-*

**E**x quibus omnibus nunc faciliter constat, quid per jus retractus consanguinitatis intelligatur, describi verò illud potest, quòd sit jus consuetudinarium, competens consanguineis in ordine ad acquirendum præstitis præstandis bona extrafamiliam alienata. Ex quo dein sequentia fluunt axiomata (I.) ubi non præcedit alienatio, ibi



ibi non est locus retractui, (II.) qui non potest ullo modo, acquirere bona, non potest retrahere, (III.) qui quoad acquisitionem bonorum respectivè ad locum retractus non sunt habiles, non possint retrahere, (IV.) qui non sunt consanguinei, hâc specie juris retractus, non fruuntur. (V.) hoc jus non tam jure scripto, quàm consuetudinario aut statutario regitur.

*tione juris retractus consanguinitatis fluant.*

§. XX.

**J**us hoc illis tantùm competit, qui sunt legitimè sanguine juncti, cùm in illis solis obtineant rationes, quare jus retractus introductum esse (§. XVIII.) probatum de-  
di. Quare, cùm insuper verum sit, quòd respectivè ad descendentes illegitimos seu bastardos bona alienata non ex-  
eant de genere & familiâ, utpote cùm hi non sint de domo patris, nec cognati, aut agnati dici possunt, nec agnationem conservant, per *L. lex natura ff. de stat. homin.*, cùm quoque in causato plus non sit, quam procedit ab influente potentiâ causa, idem de illegitimorum liberis respectivè ad bona avi paterni juris esse arbitror. Sicut præterea quidquid dispositum in uno contrariorum, etiam in altero dispositum esse censetur & idem operatur propositum in proposito, quod oppositum in opposito, vicissim apparet, cur & patribus & avibus non competat jus retractus in bonis bastardorum. Aliud autem dicendum esse constat de liberis illegitimis respectu bonorum maternorum & vicissim, cùm ea semper certa sit *L. quia semper ff. de in jus voc.* juxta illud germanorum: *kein Mutter trägt ein Bastard.* Ita tamen, ut in concursu legitimorum in eodem gradu constitutorum ob matrimonii favores his præferentiam adjudicandam esse persuasum habeam, concordat cum his omnibus jus nostrum *Statut. citat. Tit. §. 11.*\*

*An illegitimi admittantur ad jus retractus.*

*An avus & pater habeant jus retractus in bonis liberorum illegitimorum.*

*Quid de illegitimis respectu matris.*

*Quid de illegitimis in concursu legitimorum respectivè ad bona*

*An materna.*



\* Kein Bastard. Doch soll man solches nicht verstehen in Mütterlichen Güttern/ darin ihm der Abtrieb odubensimmen ist/ dergestalten dannoch/ wan andere ehrliche Bluts- Verwandtschaft in gleichem Grad mit unehrlicher/ oder doch von unehrlicher herstammender Verwandtschaft concurrirte/ das/ solchesensals/ die erstere den Vorzug in alle Wege haben solle.

§. XXI.

An legitimi per subsequens matrimonium aut rescriptum Principis gaudeant jure retractus consanguinitatis.

**D**uplicem adhuc vigere liberos illegitimos legitimandi modum, unum per rescriptum Principis alterum per subsequens matrimonium, vulgatum est. Quorum hie tantarum virium est, ut naturales liberos legitime natis exæquet. *Cap. tanta VI. § qui fil. sint legit.* Primo autem modo idem effectus tribui non solet, cum hi, saltem pro casu liberorum legitime natorum existentium, vel nullo modo. *Nov. 74. cap. 1.*, vel saltem in ordine ad succedendum patri non legitimentur; eò quòd Principes non soleant in alterius injuriam beneficia tribuere. *L. nec avus 4. Cod. de emancip. liberor.*, quin tamen hoc in casu legitimatio id operari potest, ut macula natiuitatis aboleatur, & ut liberi tales dignitatum capaces fiant. Cum jus illud sine ullius læsione acquiratur. Pro casu verò non existentium legitimorum, supplicante Patre naturali habilitantur quidem ad successionem patris, non tamen cæterorum collateralium *Nov. 89. c. 4.* dum itaque successio ab intestato juri retractus consanguinitatis normam potissimum ponit, & verba consuetudinum, & statutorum plerumque sint strictè accipienda, prono veluti alveo fluit, quòd per subsequens matrimonium legitimi hoc jure retractus fruuntur, non verò legitimi per rescriptum Principis, nisi hoc in ultimo casu ex gravibus causis expressè concessum probetur. His iterum concordat jus nostrum *status. §. XII. citat. Tit.*



\* Es mögen auch die Kinder, so durch Gewalt/ und Macht des Fürsten ehelich gemacht worden, nicht abtreiben sc. jedoch hat sol bes nicht statt, in denen Kinderen, die durch nachfolgende Eheliche Vermählung gechliget worden.

§. XXII.

Verba statutorum, & consuetudinum sunt strictè accipienda, maximè, si prout hic, juri communi contrariantur, proinde qui retractu consanguinitatis uti volunt, ante omnia docere debent, se in sensu proprio esse consanguineos alienantium bona extra familiam, vel in jure se pro talibus haberi. (§. XX. XXI.) Ex quo constat liberos spirituales, adoptivos, affines, unitos quà tales ad retractum non admitti. Doctrinam tamen hanc de adoptivis solummodò quoad adoptionem in specie, & minus plenam intellectam volo, cùm adoptio plena omnia jura familiæ tribuat tam naturali propagatione, quàm civiliratione aliàs competentia, quia hoc casu in unam personam, & naturalia h. e. ut quidam interpretantur, natalia, & adoptionis jura concurrunt, ut loquitur Imp. Justinianus in § sed hodie instit. & L. penult. Cod. de adopt. & taliter § XIII. Jur. statut. cit. tit., qui de cætero his principiis conformis est, intelligendum esse judico. \* \*

Quare liberi spirituales, adoptivi, affines, & uniti quà tales ad retractum non admittantur.

\* Hoc adoptionis genere usus fuit Patriarcha Jacob, qui nepotes duos ex Josepho filio Ephraim & Manassen adoptavit, ut non nepotum, sed filiorum loco essent, & in divisione terræ Canaan, quisque partem suam, sicut filii acciperent, cùm aliàs patris sui, in cujus locum & jus, eo defuncto, successuri erant, h. e. unam tantum portionem accepissent, Genes. 48. Jos. cap. 16.

\*\* Dieb



\*\* Vielweniger seynd die Geistliche Kinder/ als die/ so zum Tauff  
getragen/ gehalten/ gehoben/ oder getaufft werden / wie auch  
die adoptivi zum Abtrieb zugelassen/ Dan dieselbige seynd Fei-  
ne natürliche Bluts/ Verwandten.

S. XXIII.

Quare de-  
portati,  
banniti, &  
relegati  
non sint  
capaces ju-  
ris retrac-  
tus.

**R**etractus jus ad conservandas honestarum, non verò  
turpium, flagitiosarum, & infamium personarum fa-  
milias & favorem introductum est. Per consequens ob  
crimen deportati, banniti, & relegati, licet alienantium  
consanguinei sint, pro provinciâ, ex quâ deportati, banni-  
ti, aut taliter relegati sunt, jure retractus non gaudent. His  
consonat §. XV. jur. stat. cit. tit. \*

\* Die/ so ewig Verbant/ in Gefängnis und des Lands verwie-  
sen/ sollen auch nicht mögen abtreiben.

S. XXIV.

Quare re-  
ligiosi or-  
dines, &  
Canonici  
regulares,  
jure retrac-  
tus non  
gaudeant.  
in Trevi-  
rana.

**Q**uod unâ viâ salubriter prohibitum, id aliâ conceden-  
dum non est, ne lex in totum fiat elusoria. Cùm ergò  
ex motivis gravissimis in hoc Treviratu nostro personas  
laicis permillum sit, bona sæcularia in manus religiosas, &  
Collegia Ecclesiastica quocunque titulo alienata, retrahere,  
(§. XV. XVI. & XVII.) Et verò constitutio talis facil-  
limè eludi posset, si religiosis, & Canonicis regularibus re-  
tractus ex capite consanguinitatis permetteretur, ab hoc  
jure retractus religiosos ordines, & Canonicos regulares  
pro dictâ provinciâ exclusos esse sequitur. Sicut id quoque  
expressâ constitutione dispositum est. Per §. XIV. cit. tit.  
jur. stat. \*

\* Die Ordens/Leuthe/ und Regulier-Canonici mögen als  
Verwandten auch nicht abtreiben.



§. XXV.

**F**ertile, & in jure ac æquitate fundatum principium est: quem de evictione tenet actio, cum agentem repellit exceptio *L. vindicantem 17. ff. de eviction. L. non dubitatur. C. eod. L. 2. C. d. reb. alien. non alienand.* Ex quo satis firmam conclusionem esse judico, quòd scilicet ipse rei venditor ad rei venditæ retractum admittendus non sit. Nihil enim æquitati naturali tam conveniens est, quàm voluntatè Domini, volentis rem suam, in alium transferre, ratam haberi, §. *per tradit. instit. de rer. divis.* & quæ semel placuerunt custodire. *cap. quod semel de reg. jur. in 6.* maxime cum venditor rem semel vendendo extra familiam, affectum erga eam deposuisse censeatur. Neque hìc quædrare potest, quòd per talem retractum ratio finalis obtineri videatur: ut scilicet res maneat in familiâ, cum hìc versemur in materiâ juris renuntiabilis, in quâ ad renuntiata regressus non datur. Sicut verò pro circumstantiis, quibus emptor venditoris consanguineus rem rursus in extraneum alienaret, nova venditio interveniret, & sic primus venditor retrahendo, proprio factò non contraveniret, ità non video, cur tum in hoc casu excludendus foret.

*Quare ipso venditor ad retractum rei à se venditæ non admittatur.*

*Quid autem si res de nullo vendatur & venditor sit consanguineus primò emptoris.*

§. XXVI.

**J**us retractus gentilitium pro familiarum conservatione & splendore introductum est (§. XVIII.) adeoque hoc jus liberis & agnatis jure suo & proprio competit, ex quo sequitur, hoc jus apertum esse liberis, filiis familias, cæterisque agnatis, sive venditoris hæredes sint, sive non, adeoque sive instituti sive exhæredati, etiam hæreditati juratò renuntiantes, sive in- sive extra ejus potestatem patriam constituti existant. Quando enim quis suo & proprio jure



Liberi admittuntur ad retrahendum bonorum à parentibus alienatorum, sive de cetero illorum heredes sint, sive non, sive in sive extra eorum potestatem constituantur.

nititur, quod ei competiisset, etiamsi hæres factus non esset, ei etiam hæredi facto factum defuncti testatoris non nocet. *L. fin. Cod. de evict. L. 22 §. 1. ff. de adopt.* Nec est inconueniens, quòd filius petat aliquid non tanquam filius, sed tanquam alius agnatus quilibet. *L. 1 §. sed videndum ff. de success. edict. L. 2. in princ. ff. unde legit. cap. constitutus & de in integr. restit. L. 59 §. fin. ff. ad SC Trebell.*  
 \* Quamvis enim hæres venire non possit contra factum defuncti, nec res suas per defunctum alienatas revocate pro eâ parte, ex quâ hæres est, ac defunctum repræsentat. *L. cum à matre 14 C. de rei vindicat. L. si Titio 22 ff. de pignor. & hypoth.* Regula tamen illa hæredi non obstat in retractu faciundo, quoties venditioni promissio, de re nempe ab omni retractu gentilitio immuni & liberâ præstandâ, nominatim addita non est; cum retrahendo non intelligatur venire contra factum defuncti, aut illud impugnare, sed approbare magis ac confirmare, dum petit, se loco prioris emptoris substitui, atque ita venditionem non irritam constitui, sed magis in universum ratum habet, omni emptoris obligatione, jurêque in se translato. Quibus quoque concordat *§. V. jur. statut.* \*\* Quare insuper in nullâ ratione, quod tamen cum obsequiosissimo respectu dictum esto, fundatam invenio distinctionem inter filiosfamilias, & patresfamilias, quam tamen admittit jus nostrum statutarium *§. X. cit. Tit.* \*\*\* Nihil enim ad rem facit inter patrem & filium familias adstrui solita personarum identitas, hæc siquidem utpote in fictione fundata, est strictæ interpretationis, & aliunde nil impediret, si uti hîc filiusfamilias veniat suo & proprio nomine, quod facilius in illis procedit, quàm in non filiisfamilias, sed tamen hæredibus alienantis existentibus, nec tamen in his illa identitas personarum impedimento est retractui, ut jam probatum dedi. \*\*\*

\* Ea,



\* *Ea, qua dotem dabat, pacta erat cum Marito, ut mortuâ se in matrimonio dotis pars matri ejus redderetur: nec eo nomine stipulatio à matre interposita est: moriens deinde matrem & maritum suum heredem fecerat: & à matre petierat, ut hereditatem Titio restitueret: Judex additus de hereditate dividenda partem dotis, quasi ex utili pacto, pro parte matri adjudicaverat. Querebatur, an & ea portio ex causa fideicommissi praestanda sit: (quam) non esse restituendam puto: quia non quasi haeres, sed quasi mater ex pacto accepit: nec occasione hereditatis, sed errore ex pacto eam habuit.*

\*\* *Zu solchem Abtrieb ist berechtiget der nechste Bluts, Verwandter des Verkaufers / obschon er auch dessen Erb wäre / ohne unterscheid / wo die verkauffte Güther herkommen, ob sie ererbt / oder erst errungen gewesen.*

\*\*\* *Die Kinder / welche noch in Gewalt ihres Vatters seynd / können das Guth / welches von ihrem Vatter verkaufft / oder veräußert worden / nicht abtreiben / es wäre dan / daß sie verheurathet / oder absonderlichen Hausstatt nach erreichten 25 Jahren führten / in welchen Fällen denen Kinderen das Abtriebs-Recht nicht zu versagen ist / 2e.*

\*\*\*\* *Et quid quæso hæc in re filiisfam. obstaret? ponamus filium quendam 30. annorum, qui nec in matrimonio sit, nec separatam œconomiam habeat, sicque adhuc in sacris paternis constitutus maneat, habere ingens aliquod peculium adventitium extraordinarium. Et ab ejus patre villam aliquam avitam exiguo pretio ita in extraneum vendi, ut tamen læsio non sit ultra dimidium, hæc nec patri nec filio proderit remedium L. 2. C. de rescind. vendit. an talis filius non poterit uti jure suo, & illam retrahere? Sed inquis: filiusfamilias sibi nihil potest acquirere, sed sic retrahendo acquireret patri, adeoque tum in effectu pater retraheret ipse, quod illum non posse, supra (§. XXV.) demonstratum est. Ast diu exploratum est illud antiquitatis principium, quod scilicet filiisfam. sibi nihil acquirere possint. Idque per L. ult. §. 5. vers. Filiis autem familias Cod. de bonis que*



*liberis. ibi: filiis autem familias in his duntaxat casibus, NB. in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, donec parentes vivunt, nec de iisdem rebus testari permittimus, neque contra voluntatem eorum, quorum in potestate sunt, ulla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare vel hypothecae titulo dare vel pignori assignare. Nec non per Nov. 117. cap. 1. §. 1. ibi: res autem ita relictas sive donatas postis sub potestate personis, si quidem perfectae sint aetatis: licet sub potestate sint, licentiam habeant quo volunt modo disponere. Sed pergis licet filiitatem. in cit. §. X. de Jur. statut. stante patriâ potestate non possint retrahere, illâ demum finitâ villam talem adhuc retrahere poterunt. Utpote cum interea fuerint in impedimento juris. Verum de hoc imprimis est altum silentium in cit. §. & ponamus adhuc 10. annis post talem venditionem & factam intuper vel venditæ insinuationem judicialem, filium manere in patriâ potestate, sic sanè filii tales familias majorenes multò melioris conditionis erunt, quàm impuberes & minorenes sui juris, id quod, in nullo jure fundatum est, cum his sine spe restitutionis in integrum à die talis insinuationis judicialis biennium tantum constitutum sit. Per §. IV. cit. Tit. Jur. nost. statut. ibi: Unwomit die Käufer wegen der erkauften Gütheren gegen die zu. n. Abtrieb berechtigte Abwesende/ oder unwissende Minderjährige nicht all zu lang in Gefahr und unsicherheit stehen / mithin solche Güthere etwan in Wistbau gerathen mögen: wollen wir solchen abwesenden zum Abtrieb zwey Jahr à die insinuationis erlaubt / nach deren verfließung ihuen kein beneficium restitutionis gestattet haben. Und doctrina ist hæc bono publico & rationibus in allegato §. IV. adductis & allatis è diametro opponeretur. Velle autem dicere, quòd pro istis circumstantiis filiisfam. etiam postea, scilicet lapsò biennio sui juris factò, etiam non competeret jus retractûs, esset incidere in aliud absurdum, scilicet filiofamilias in sacris paternis constituto & nondum hæredi, minus competere retractum, quàm*



quàm filio sui juris factò, & hæredi denominatò. Quare hunc passum juris statuit, inter illos referendum esse iudico, qui aliquâ declaratione legali indigerent.

§. XXVII.

**P**roximioribus agnatis in concursu remotiorum jus hoc preferentialiter competere ex traditis supra indubitatum est. Ità tamen ut remotiores ad interim admittantur, antequam scilicet proximiores necessaria ad retractum præstiterint, ex quo esse iudico, quòd licet Creditores hæreditarii petere possint, ut hæredi statuatur terminus ad se declarandum, an hæreditatem adire velit, nec ne, id tamen currente termino retractus proximioribus fieri non possit, cum ante aditionem talem illi creditores contra talem hæredem nullum jus habeant. Si tamen res aliqua alienata sit in aliquem ex agnatis remotioribus, jus retractus proximioribus non ita indistinctè competet, arg. *C. 1. §. Titius tit. 26. lib. 2. feud.* cum quoad eos ratio retractus non ita obtineat, ne tamen res illa procedat in infinitum, consultissimum est, si statutis determinetur ad quam gradum res ista procedat, sicut iure nostro statuario (§. XX. cit. tit.) desuper saluberrimè provisum est. Proximioritas tamen illa ex tempore alienationis desumenda est, & metienda ex personâ ultimò alienantis possessoris argumento feudorum. *Lib. 2. feud. Tit. 50. in princ. & successione ab intestato*, juxta quam jus retractus aliquatenus regulatur.

*Remotiores an, & quando admittantur ad retractum.*

*Proximioritas desumenda ex tempore alienationis, & ab ultimo alienante.*

§. XXVIII.

**I**nter varia, in quibus à jure Romano recesserunt Germaniæ consuetudines, est etiam societas conjugalis, & acque-



In bonis  
communi-  
bus conju-  
gum co-  
rum con-  
sanguinei  
indistinctè  
admitten-  
di sunt, si-  
ve de an-  
tea, acqui-  
sitis, si-  
ve acquiren-  
distantè  
matrimo-  
nio quæstio  
sunt.

acquestuum communio, ita quidem, ut sic acquisita æque principaliter conjugibus communia sint, ac si alio titulo ante initum matrimonium res aliqua ipsis communis fuisset, exceptâ fortè acquestuum alienatione, & administratione. Quare sicut de bonis antea communibus conjugum consanguineos, secundum gradûs tamen prærogativam ad retractum admitti, ex principiis hucusque positis certum est. Quibus etiam normam ponunt §. VI. \*) §. VII. Jur. nostri statut. cit. Tit. \*\*) ita concipere non valeo, cur in bonis stante matrimonio acquisitis, & rursus alienatis, mariti consanguineis in eorum retractu præferentia indistinctè competeret, ubi tamen rursus in §. XXXIV. cit. tit. Jur. statut. aliud obtinet. \*\*\*

\* Würde sich nun zutragen/ daß mehrere Anverwandten in gleichen Grad sich zu dem Abtrieb anmeldeten / sollen sie darzu gleicher Hand/ ob schon sich einer zeitlicher/ dan der anderer in obbestimten 4 Monathen hätte angemeldet/ zugelassen werden/ wohl verstanden / wan das abtreibende Guth füglich theilbar ist.

\*\* Solte aber dasselbe Guth sich nicht füglich theilen lassen / weren die Abtreiber deswegen zum Loß anzuweisen.

\*\*\* Da aber zwey Ehegatten ein errungenes Guth verkauffen/ ist des Manns Anverwandschaft zum Abtrieb die nähere und vorzuziehen; in einem gemeinschaftlichen Guth aber/ welches von zwey Eheleuthen/ veräußert wird/ solle es damit der Ablösung halber gehalten werden/ wie in §. 6. & 7. hujus tituli vermeldet.

§. XXIX.

**R**atio legis, statuti, aut consuetudinis est eorundem anima, L. cum ratio 7. ff. de bonis damnat. L. scire 17. ff. de legib. cessante autem adæquatâ ratione Legis, statuti, aut



aut consuetudinis, hæc omnia cessare in aprico est. Ratio  
 introducti juris retractus est, ne bona exeant è familiâ, si-  
 cut itaque circa res mobiles, ratio hæc vel eò minus obti-  
 net, quò earum possessio fluxa magis & fragilis, imò &  
 quodammodo abjecta esse sustinetur per *L. si rem mobilem*  
*47. ff. de acquir. vel amitt. possess.* *L. peregrè 44. ff. eodem.*  
 Neque etiam in has tanta cadit affectionis consideratio  
 propter fragilitatem, ut vestigia majorum, virtutisque me-  
 moria illorum retineri possit. *L. lex, qua C. de administrat.*  
*Tutor. L. fin. C. quand. decret. op. non est L. & si sine §. qua-*  
*situm ff. de minor.* Quare jus retractus tantummodo circa  
 res immobiles, aut his æquivalentes, non verò circa mo-  
 biles, locum habere adinvenio.

*Quare?*  
*circa res*  
*mobiles*  
*retractus*  
*non obti-*  
*neat?*

§. XXX.

**V**erum quidem est, quò fundo vendito aut restitu-  
 do, etiam fructus pendentes regulariter venditi, &  
 respectivè restituendi sint; cum eatenus fructus pendentes,  
 pars fundi esse censeantur, *L. 44. ff. de rei vindicat.* Quem-  
 admodum verò fructus tales pendentes per se, divisim, ac  
 separatim considerati, per se sine fundo venduntur, sta-  
 tim ab eo separandi, hisque in circumstantiis, pro jam se-  
 paratis habendi sint, arg. *L. penult. ff. de milit. testam.* Eo-  
 dem ferè modo, quò licet feudum & Emphyteusis, sine  
 consensu domini directi cum effectu alienari non valeant,  
 de fructibus tamen pendentibus ad modicum tempus, &  
 in vitâ Vasalli aliud sustinetur; ità & aliâ insuper ratione  
 motus, quia scilicet per alienationem talium fructuum  
 pendentium, res ipsa immobilis non exit è familiâ, & fru-  
 ctus pendentes insuper, post perceptionem consumuntur,  
 cum non, nisi ad illum effectum emanant, firmiter mihi  
 per-

*Fructus*  
*pendentes*  
*separatim*  
*venditi re-*  
*tractui*  
*non subja-*  
*cent.*



persuasum habeo, quod jus retractus, circa alienationem talium fructuum pendentium, locum non habeat.

§. XXXI.

Quomodo  
reditus  
annui re-  
trahi pos-  
sint?

**R**editus annui, licet proprie, nec res mobiles, nec immobiles sint, illos tamen rebus immobilibus annumerari, à jure Canonico æquè, ac Civili receptum est. Per *Cap. exviii*, ibi: *cum annui reditus inter immobilia censentur à jure.* & *de verbor. significat. L. jubemus C. de SS. Eccles. L. hac edictali. §. his illud. C. de secund. Nupt. L. ult. §. præterea ibi: vel ades vel certum reditum. de jur. dot. L. 2. in fin. C. de bon. petit.* Dum itaque circa alienationem rerum immobilium, & quæ pro his habentur, si aliunde nil obstat, retractus locum habet (§. XXIX,) non video, cur annui reditus saltem futuri, super rebus immobilibus, signanter ad longissimum, aut longum tempus constituti retractum talem refugiant, idem statuit *jus nost. statut. (§. 48.)*  
\* Sicut verò reditus, quorum dies modo cessit, mobilibus comparantur, *arg. cit. L. 44. ff. de rei vindic.* ita palam est, de his aliud esse statuendum.

\* Was unablösige auff einem Guthe hassende Rbenten an Geld/ Frucht/ Wein/ und dergleichen/ wie auch die denen Immo- del Gütheren anklebende Serechtigkeiten verkauft werden/ sollen die Anverwandten solche nach belieben abzutreiben Zug und Macht haben.

§. XXXII.

**N**on exiguam portionem reddituum, constituunt decima. An verò jus hoc decimandi alienatum retractum, signanter verò in favorem laicorum admittat; non una



una omnium est sententia. Meam, ut desuper mentem aperiam, multum referre judico, an scilicet ejusmodi decimæ, Laicis ante Concilium Lateranense habitum, anno 1179, legitimè reservatæ, aut in feudum datæ fuerint, an verò 2do constet, post illud tempus decimas tales à Laicis absque legitimâ autoritate fuisse occupatas, aut denique 3tio, an illi Laici docuerint, possessionem vel quasi immemoriam, receptorum ejusmodi reddituum. Sicut in primo casu, jus decimandi, quod aliunde rebus immobilibus indubitanter annumeratur, reverà est in patrimonio, & familiâ laicorum, per *Cap. vii. § de his, quæ sunt à Pralat. Cap. statuto §. sanè III de decim in 6.* Ita quidem, ut jus hoc aut si majoris comoditas à talibus Laicis alienari valeat. *per cit. cap. subsecutâ alienatione tali, cum jus hoc reverà exeat ex familiâ, jure consanguinitatis illud de Emptoribus, sive Clericis, sive Laicis, intra tempus retractui aliàs ordinarium in his circumstantiis recuperari posse, autumo.* Lapsa autem tali tempore retractûs, consanguineis alienantis aliud non superest, quàm, ut fortè ex capite nullitatis, jus illud à religiosis recuperent, utpote, cum hi absque consensu Diocetani Episcopi jus tale à Laicis acquirere non valeant. *Per cit. cap. VII. § de his, quæ sunt à Pral. in fin. \*) Tum per cit. § sanè in medio. \*\*)* Pro 2do casu, sicut Laici illis in circumstantiis jus nullum habent, proindeque illius alienatio subsistere non possit, frustra de retractu quæreretur, cum consanguinei plus juris prætere non possint, quàm jus illud alienare attentans, habuisset. Pro 3tio casu, sicut usus talis immemorialis, si non constet de vitioso initio, præsumptionem fortissimam inducit, quòd Laici tales, jus hoc legitimo privilegio, aut ex infeudatione ante laudatum Concilium Lateranense, aut omni

*Decima, à Laicis legitimè possessa, & postea alienata retractui possunt.*



meliore modo, nacti fuerint, non erraret, qui conclusioni, pro primo casu captæ, hoc in passu quoque inhæreret.

\* *Quia verò nos consulere voluisti, utrum, quando decima tenetur à Laico, si conferatur Ecclesia, ad confirmandam donationem consensus Episcopi sine Cleri consensu sufficiat? Taliter respondemus, quod monendus est Laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesia, ad quam spectat: qui si forte induci nequiverit, & eam cum Diocæsani consensu, alteri Ecclesia assignaverit, præsertim religioso Conventui: constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixâ.*

\* \* *Non tamen licet religiosis eisdem post talem infensationem, vel recognitionem sic de facto præsumptam, huiusmodi decimas de manibus Laicorum ipsorum acquirere, vel recipere absque Diocæsanorum Episcoporum assensu. Illas autem decimas intelligimus posse taliter à Religiosis de manibus Laicorum recipi, vel acquiri, qua ante Lateran. Concilium ipsis Laicis in feudum perpetuo fuere concessa.*

§. XXXIII.

**Q**uantum splendoris, duraturique roboris familiis illustrioribus adjiciant, multiplicatæ feudorum possessiones in Regnis, notanter verò in Imperio nostro Romano-Germanico integri Ducatus, Principatus, & Comitatus, testatum faciunt. Ita quidem, ut ad continuandum ejusmodi familiarum vigorem feuda talia, si nova sint sine consensu domini directi alienari non valeant, si antiqua, agnatorum insimul consensus ad hoc requiratur. 1. feudor. tit. 5 in pr. & circa fin & 2. feudor. Tit. 44. in princ. 2. feudor. Tit. 26. §. 5. vers. Titius & Tit. 39. Qui consensus intervenientes, quàmvis alienationem feudi validam reddant, cum tamen rationem inductivam retractûs: ne scilicet bona exeant è familiâ, non excludant, retractus gentilitius circa

*Jus retractûs quoque circa feuda locum habet.*



circa talia bona, sed tamen secundum distinctionem, in  
cis. L. Titius. \*) relatam locum habebit.

\* Titius filios masculos non habens, partem ejusdem feudi Sejo, par-  
tem ejusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Semprantus  
proximior agnatus mortuo demum Titio partem illius feudi nul-  
lo dato pretio recuperare potest. Quod si Titius filios proprios ha-  
beret, pretio reddito, etiam vivo Titio: quod si consensit aliena-  
tioni, vel per annum, ex quo scivit, tacuit: omnino removebi-  
tur.

§. XXXIV.

Quod in familiis illustrioribus pro conservatione effi-  
ciunt feuda, hoc in aliis supplere solent bona Em-  
phyteutica, censitica, superficiaria, colonia perpetua. Pro-  
inde, si hæc extra familiam alienentur, jus retractus genti-  
litii quoque obtinebit. Cum tamen jus protimiscos, quod  
circa hæc bona competit dominis directis jure communi  
scripto, per L. 3. Cod. de jure Emphyteut. illis concessum sit,  
& aliunde in jure certum sit, quod consuetudines, & loco-  
rum statuta, si juri communi scripto contrarientur, strictæ  
sint interpretationis, ideò Dominis directis hoc in passu  
prærogativam, præ proximis consanguineis, tam diu ad-  
judico, donec quis mihi consuetudinem, aut statutum, ex-  
pressè aliud statuens assignaverit. Maximè, cum aliàs  
hoc jus protimiscos Dominis directis competens, facillimo  
negotio eludi possit.

Quomodo  
jus proti-  
miscos &  
retractus  
circa bona  
emphytea-  
tica, censu-  
tica, su-  
perficiaria  
& sub co-  
loniâ per-  
petuâ con-  
cessa oc-  
cupetur?

§. XXXV.

Quàm plurima in favorem fisci emanasse jurium privi-  
legia, in Digestis æquè, ac in Codice Justiniano in-  
tegrititulis demonstratum est. Cum tamen jura ista sint  
strictioris interpretationis, ut loquitur Heinec. in Lib.

Retractus  
gentilicium  
contra fis-  
cum emp-  
torem lo-  
cum habet,



XXXXIX. §. CCLXXXII. ff. de jur. fisc. facile patet, in reliquis non expressis, fiscum uti jure communi. L. 10. ff. de jur. fisc. L. 25. D. de pign. L. 12. C. de compens. maximè cum Imperatores considerantes, tunc æqui observantiozem reddi populum, cum suis Principem jussis parere videt, se, & si legibus solutos, legibus tamen vivere velle, constituerint. §. ult. Instit. quib. mod. testam. infir. dignam scilicet, majestate regnantis vocem esse existimantes, legibus alligatum se Principem profiteri, suumque legibus submittere principatum. L. digna C. de Leg. nili bonum publicum, cui privatum notoriè cedere debet, aliud suadeat, hinc jus retractus consanguinitatis, etiam contra fiscum, nisi bonum publicum aliud exigat, effectum suum exserere poterit.

§. XXXVI.

**H**EC jus retractus locum non habet, si interesse reipubl. aliud exigat (§. XXXVI.) quid verò reipublicæ magis periculosum foret? quàm, si urbes munitæ, aut fortalitia, signanter in limitibus territorii sita, in hostium manus pervenirent? quid è contra illi favorabilius & expetendum magis? quàm, si loca quædam pro Ecclesiis erigendis, cœmiteriis constituendis, pro scholis publicis, aut hospitalibus, aliisque piis locis ædificandis, emanantur & exstruantur? proinde emptiones tales in duplici isto casu juri retractus non subjacere, dignum & justum est. His convenit *jus nost. statut. sæpè cit Tit §. 24 \** & §. 26. \*)

*Quid de fortalitiis, & locis impiis ad exstruendas scholas publicas dicendum?*

\* Wan einer einen Platz oder Grund kauft der Meinung / daruff eine Kirch / Kirchhoff / oder öffentliche Schul zu bauent / solchen Kauf mag der nechst nicht abtreiben.

\*\* Wästen / Städt oder Schloß auff den Grängen sollen nicht abgetrieben werden / wan die nächste dem Fürsten / dessen die Grängen seynd / in Verdacht und Untreu wären.

§. XXXVII.



§. XXXVII.

**A** Digniore fieri solet denominatio. *L. quicquid. 27. §. Jus retractus etiam cum partes 2. ff. de acquir. rer. domin.* Ita quidem, ut magis dignum trahere soleat ad se, minus dignum. *L. qua religiosis 43. ff. de rei vindicat.* Cum itaque in hæreditatibus venditis, res immobiles, quæ mobilibus digniores haberi solent, plerumque contineantur, nullus dubito, quin in hæreditatibus talibus, saltem per aversionem venditis, jus retractus consanguinitatis admitti debeat. Ita tamen, ut pro libitu separatim retrahi non possint immobilia, qui retractus, vel eò magis locum habet, si mobilia tali in casu pretio & valore superentur ab immobilibus. Cui ultimo principio concordat *Jus statut. §. XXX.* \*

*Jus retractus etiam circa hæreditates venditas exerceri potest.*

\* Da die unbewegliche grösseren oder doch gleichen Werths mit denen zusammen verkaufften, und zu einem pretio eingeschlossenen beweglichen Gütheren wären; dennoch mögen dieselbe anderst nicht dan bensammen abgetrieben werden.

§. XXXVIII.

**S**icut nihilominus malitiæ venditoris, & emptoris indulgendum non est, si in fraudem retrahere volentium plures aut aliquas res venditioni per aversionem adjiciant, retractus tali in casu, præviâ tamen taxatione, secundum æquum & bonum, circa sola immobilia admitti potest, & debet. Ita quoque, si res mobiles, simul & immobiles, & generaliter res retractum admittentes, cum rebus aliis, retractum respicientibus, uno pretio distractæ sint, emptor non aliarum rerum intuitu, quàm, quæ naturâ suâ retractum patiuntur, ab emptione invitus depelli potest, reliquarum sibi reservandarum facultate relicta, pretioque pro rata

*In venditione per aversionem, si res non retractibiles in fraudem adjectæ sint, immobiles separatim retrahi possunt.*

ratâ



râtâ rerûm, per cognatum retractarum, viti boni arbitratu recepto; nisi ipse satius duxerit, à totâ emptione recedere, ac res omnes simul emptas retrahenti restituere, dum fortè eas, quæ retractui non subsunt, sine aliis retractui obnoxiiis non fuisset empturus. Arg. *L. tutor. 47. §. 1. ff. de minor. 25. annis. L. si quis alium 46. ff. de solution.*

§. XXXIX.

*Retractus tantummodo procedit, si emptio venditio aut negotia huic similia celebrata sint*

**C**onstitutiones Fridericianas, circa jus retractûs tantumquam authenticas & pragmaticas, allegari non posse, constat ex supra (§. IX.) deductis. Argumento tamen probabili esse possunt in iis, quæ usu vel statutis locorum obtinuerint. Cùm itaque ejusdem Imperatoris Constitutio relata *In tit. 13. V. feud.* juri protimiseos tantummodo locum concedat, si bona immobilia accepto pretio, exeant è familiâ, & quoque consuetudo subsequens ac quotidiana, ne liberalitatis, aut libertatis gratia nimium violetur, id satis confirmet, insuperque, si alia negotia celebrentur, ratio retractûs inductiva cesset, (§. XL.) satis patet, cur solummodo circa emptionem venditionem, & negotia huic similia retractus agnoscat. Concordat *Jus statut. (. XLIX. \*)*

\* Das Abtrieb-Recht hat allein platz im Kauff und Verkauf/ und was dafür geachtet wird: in anderen Contracten aber/ als Tausch und wieder Tausch hat es eine andere Beschaffenheit und der Abtrieb nicht statt.

§. XL.

*Esiam locum habet in rebus*

**J**us retractûs circa emptionem venditionem, & negotia huic similia obtinet. (XL.) Cùm itaque datio in solutum, vicem venditionis obtineat, eidemq; in totum comparetur,



paretur, per *L. 4 C. de eviction.* maximè, si res immobiles immobilis-æstimatæ, pro debito quantitatis in solutum dentur, arg. *bu: in solu- L. eleganter. in princ. ibi: si pro soluto ei res data fuerit, ut tum dasis. in quantitatem debiti ei satisfiat &c. ff. de pignor act.*, de tali datione in solutum idem, quod de emptione venditione, quoad retractum juris erit.

§. XLI.

**F**Rustra sententiæ feruntur, si non executioni manden-  
tur, ita, ut campanis sine pistillis eas, si sine executio-  
ne sint, similes, vocet *Math. Coler. de processu execut. in præ-  
fat. n. 4* ac proinde, cum executio sine rerum distractione  
rariùs procedat, omnia, quæ hanc remorantur, aut omni-  
nò impediunt, præ cæteris removeri, publicè interest. Ni-  
hil verò tam contrarium est distractioni, quàm si nulli, aut  
paucissimi inveniantur licitatores. Maximè autem à lici-  
tando deterrentur homines, si rem emptam à se, etiam re-  
cepto pretio, avocari posse, aut probabiliter avocandam  
esse, prævideant. Sanè hâc ratione motus Imperator Ze-  
no, ad animandas licitatores, saluberrimè introduxit, ut  
ementes à fisco, etiamsi res aliena fuisset vendita, statim se-  
curi desuper redderentur, per *§. ult. de usu capt. & long. temp.  
prescript.* ) Cum itaque bona immobilia, si propter cen-  
sum debito tempore, non exsolutum, si propter debita fis-  
calia, aut alia sub hastâ venumeant, prævio proclamate  
publico divendi soleant ita, ut in totum tacentes, etiam  
alias intereffati sibi præjudicent, arg. *L. 6. \*\*)* & *L. 8. Cod.  
de distract. pignor. \*\*\*)* sequitur, quòd retractus consangu-  
nitatis respectu bonorum, ex dictis causis sub hastâ aliena-  
torum, eò minùs locum habeat, quò notorium magis est,  
quòd etiam His in locis, ubi tali in casu ex dispositione ju-  
rium

*Si propter  
debita fis-  
calia aut  
alia bona  
sub hastâ  
vendita  
sunt retra-  
ctus non  
obtinet.*



rium statutariorum retractus excluditur, ob initam plurimorum de non licitando conpirationem, sæpissimè executiones speratum exitum non fortiantur. His iterum consonat *jus nost. statut. (§. 35.) \*\*\**

\* *Constitutio autem diva memoria Zenonis bene prospexit iis, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium titulum accipiunt aliquid: ut ipsi quidem securi statim fiant, & victores existant, sive experiantur, sive conveniantur.*

\*\* *Si eo tempore, quo prædium distrahebatur, grammate admoniti Creditores, cum presentes essent, jus suum executi non sunt: possunt videri obligationem pignoris amisisse.*

\*\*\* *Si hypothecas fisco distrahente, Creditores silentio tradiderunt negotium: palam est (etiam) actionem suam amisisse eos, quam in rem habebant: nam fiscalis hasta fides facile convelli non debet.*

\*\*\*\* *Man ein Guth um Herrn Zins fiscalische oder andere Schulden am Steil verkauft wird, dieweil solches offenbarlich vor Gericht beschehet, kan der Abtrieb nicht platz haben.*

S. XLII.

Circa permutationem immobilium pro immobilibus retractus non procedit.

**P**ermutationes ita celebrari solent, ut pro re immobili, immobilis quoque reddi soleat. Prout itaque hoc in casu, bona redditæ in locum extraditorum succedunt & surrogantur, quæ ejusdem valoris esse censentur, sic hoc in casu effat ratio inductiva retractus: ne scilicet familiaræ bonis immobilibus viduentur. His concordat *jus statut. (§. LX.)* allegatum. Ubi tamen pro rebus immobilibus, vicissim immobilia partim, partim verò pecunia numerata retribuantur, & respectivè exsolvitur, videndum est, an pecuniæ quantitas, an verò rerum immobilium valor præponderet: ita, ut in hoc casu jus retractus excludi, in priori verò admitti, eò firmiùs credam, quò certum magis est, quòd



quòd res, quæ participat à pluribus, regatur à potentiori, adcoque, ut in ultimo casu pro permutatione, in priori verò, pro emptione venditione concludendum sit. His rursus consonat *jus status*. (§. 49. in fin. \*) Quoniam verò res fungibiles: uti frumentum, vinum, & id genus aliæ, affectionis duraturæ considerationem non merentur, neque etiam propterea pro surrogato immobilium propriè tali haberi possunt, permutationem, taliter factam, à retractu immunem esse, non concipio.

\* Es wäre das Daben baates Geld, oder was anders / so auff gewissen Preys angeschlagen, heraus gegeben worden, welches die helffte des Werths solcher vertauschten Gùthern übersteigen thäte / maßen solchen fals der Tausch und Verkauf suchen / s. gli. h. Das Abtrieb, Recht darinnen nicht gehemmet werden mag.

§. XLIII.

**O** plurima quæ lites secum trahunt, incommoda publicè interest, eas, semel sopitas, denuò non resuscitari. Testatur hoc tota de præscriptionibus materia, testantur & illud, denegatæ in tali casu, appellationes ita ut verecundia ejus, qui lites execratur, vituperanda non sit, per *L. item si res 4. §. 1. ff. de alienat. jud. mus.* & causæ semel transactionibus legitimis finitæ, nequidem imperiali Rescripto resuscitari debeant, per *L. causas 16. Cod. de transact.* Ex quibus difficile non est eruere, quòd pro casu, quò res immobilis, de qua controversia fuit, alteri ceditur, aut etiam alia, ut à lite recederetur, data fuit, jus retractus eò minus locum habeat, quò difficilius est, dubii præcedentis verè talis, quantitatem mensurare; ubi tamen in materiâ retractus de pretii refundendi quantitate ante omnia constare

*Circa alienationem factam per transactionem retractus regulariter non obsinet.*



stare debet. *Experientia nihilominus compertum facit, quòd meticulosa quorundam pusillanimitas eis, accepto solùm modico, transactionem extorqueat, ubi tamen nullum, aut saltem levissimum tantùm dubium subfuit. Prout verò talibus in circumstantiis, non vera, sed potius simulata transactio intervenit, ita mirum non est, si tum retractus admittatur. Et taliter intelligendum esse, puto (§. 44.)*  
*jur. nost. stat. \**

\* *Wan mir einer Ansprach eines Guths halber Berichtlich thut/ und ich aus Furcht des zweiffentlichen Rechts Spruchs mich vertrage / und etwan hundert Gulden / so mag der nechst Verwandter die hundert Gulden darlegen / und den Krieg auff sich nehmen / auch seines Glücks mit Urtheil erwarten / vermits er gleichwohl nach geschlossener Transaction in der zum Abtrieb bestimbtten Zeit sich annelde / und præstanda præstire.*

#### §. XLIV.

*Res donata aut aliis per alium ultimæ voluntatis relicta retractum refugium.*

**V**Enditoribus perinde esse solet, quis res venditas consequatur, dummodo illi pretium conventum obtineant. Prout verò difficillimè homines ad liberalitatem provocantur, idque non nisi ob insignes virtutes, aut prævia benemerita donatariorum, ita, ut specialis affectio in hos directa alios plerumque, non respiciat, sic sanè donantium; aut aliter liberalitatem exercentium quàm plurimum interest, inò sub hác ratione solummodo disposuisse videntur, ut res ad illos, quibus specialiter benevoluerunt, perveniat, ibidemque permaneat. Quare circa illa, quæ per donationem, testamentum, legatum, fideicommissum, aut alium actum, ultimæ voluntatis, liberaliter relicta sunt, retractus gentilitius non obtinebit. Pro quibus omnibus, argumentum quoque faciunt sæpiùs laudatæ constitutiones Fridericianæ.

CA-



CAPUT III.

*De tempore, loco, effectu, ceterisque requisitis retractus gentilitis.*

§. XLV.

**A**cceptans contractum, ab altero celebratum, singulas *Retrahens tenetur omnia pacta & conditiones prima emptioni adjectas adimplere.* conditiones, siye expressas, siye tacitas, singula quoque pacta, & onera, contractum concomitantia, acceptasse, intelligitur, per *L. Cajus 23. ff. de manumiss.*, & *L. sin au-tem 29. ff. de pact.* Sicut, itaque retractus præcedentis emptionis venditionisque rescissionem non inducit, sed eam è contra confirmat, (XXVI) *in medio*, quin potius retrahens in locum prioris emptoris ita substituitur, ac si ipse rem primò emisset: planum est, ante omnia requiri, ut talis retrahens, omnes conditiones, & onera contractui adjecta, adimplere possit ac debeat. Quibus primò, consecutaneum est, quòd, si res vendita sit cum pacto de retrovendendo, etiam retrahens statuto tempore eam retrovendere teneatur. Huic concordat *jus nost. statut. (§. 47.) 2do*, quòd, si emptori certi solutionum termini constituti sint, hi quoque profint retrahenti. *3to*, quòd retrahens tantum teneatur solvere pretium in primâ emptione conventum, licet in secundâ res pluris vendita fuerit. *4to*, quòd, qui conditiones adjectas adimplere non potest, ad retractum admitti non debeat. Quare, sicut in donationibus remuneratoriis, aut sub modo specialis personarum affectio, earumque electa industria intercurrere solent, signanter, si modus in eo consistat, ut alimenta ad dies vitæ naturaliter præstentur, & aliunde etiam juris est, ut, ubi electa est personæ indu-



stria, actus per alterum expediri non debeat, hinc & ejusmodi donationibus remuneratoriis, & sub modo, nisi talia in fraudem adjecta fuisse, doceantur, retractus gentilitius vix obtinere poterit. Si tamen pro alimentis certa tantum quantitas præstanda veniat, sicut tali in casu, illa ab aliis eodem modo præstari potest, ita quoque termini pro retractu habiles tunc adesse possunt.

§. XLVI.

*Si statuto, vel consuetudine speciali tempus retractus determinatum non sit, triginta annis retractus instaurari potest.*

**T**empus retrahendi, quod attinet, si hoc jure quodam statuario determinatum sit, illud pro loco tali observandum esse, patet. Quòd si verò jure statuario hoc specificè expressum non fuerit, satis anceps est Quæstio, de quo tempore hoc intelligendum sit? multi cum Gailio, Mynsingero, Reinkingio illud de anno & die intelligi volunt moti eo principio, quòd si aliquid sit concessum sine temporis determinatione, ad ductum juris communis hoc de anno & die intelligendum sit. Tyraquellus è contra cum aliis sustinet, tempus pro retractu, signanter, si bona in extraneos sint alienata, & ubi statutis locorum aliud ordinatum non fuerit, ad 30 annos extendendum esse; idque arg. §. *Titius filios 2 feud. tit. 20. per Glos. ad verb. per annum*, teste cit. Gailio *lib. 2. observ. 19 n. 13.* communiter receptam. Posteriori sententiæ eò facilius subscribo, quòd ea insuper ad jus commune, secundum quod actiones personales in regula 30. annis durant, accedit magis. Dubium hoc sapientissimè resolvit *jus nost. statut.* dum pro casu, quo emptio venditio legitimè actis judicialibus, intimata non est, triginta annos per §. 18. *cit. Tit. \**) à tempore verò talis intimationis absentibus aut minoribus ignorantibus, per §. 4. (XXVI. cit.) biennium, aliis verò per §. 1. \*\*) quatuor menses concedit.



\* Hätte auch einer Guth kauft/ und solchen Contract nicht in-  
linuiren lassen/ gleichwohl das gekaufte Guth 30. Jahr lang  
ruhig besessen / wäre darinnen kein A<sup>n</sup>trieb mehr zu gestatten/  
sondern der Käufer b<sup>e</sup>y seinem Kauffruhig zu lassen.

\*\* Welcher forthin in unserem Ergstiftt verindg nachgesetzter  
Ordnung zum Abtreiben fähig / solle innerhalb vier Mona-  
then/ jeden zu 30 Täggen gerechnet / von zeit der beschehener  
Gerichtlicher Insinuation sich deshalb bey Gericht / oder  
doch wenigstens bey zweyen Gerichts Scheffen ad Protho-  
collum angeben / und in selbiger zeit der Kauffschilling auch  
nothwendige Unkosten erstatten zc.

§. XLVII.

**S**ALTEM pro casu, judicialiter non intimata venditionis, Si primus  
retrahere volentibus consanguineis 30. annorum spa- emptor res  
tium conceditur (§ XLVII.) id quod pro casu, quo primus emptor  
emptor, aut ejus hæredes bona empta ipsi adhuc possident, rursus alie  
faciliter defendi potest. Dubium autem ingens superest; naverit,  
an pro casu, quò primus emptor bona ista in tertium alie- & tertius  
navit, & hic eadem cum titulo longo tempore possedit, illas per  
actio retractûs post absolutum hoc tempus longum, & ita longum  
durante 30. annorum cursu, contra istum tertium institui tempus  
possederit,  
possit? an verò tum actio hæc post lapsum tale tempus hic pra-  
longum exceptione præscriptionis elidi valeat? Cùm jus scriptione  
retractûs rem alienatam afficiat, adeoque contra quemvis contra re-  
possessorem extraneum exerceri valeat, idem juris esse vi- tractum  
deri possit, sive primi emptores, aut eorum hæredes, res se tueri po-  
tales adhuc possideant, sive extranei illas, ab his quæ sitas, rest.  
novo titulo detineant. Quoniam nihilominus certi juris  
est, quòd onera etiam rem afficientia citius præscriptione  
extinguantur, si res à tertio fuerit possessa. prout id constat  
de actione hypothecariâ, quæ, licet onus hypothecæ ad  
quemcunque rei hypothecatæ possessorem ambulet, & li-  
cet



cet contra ipsos debitores, eorumque hæredes, 40. annis duret per *L. cum notissimi Cod. de præscript. 30. vel 40. ann.* si tamen de tertiis bonæ fidei possessoribus, quæstio sit, tempore longo evanesceat, per *L. 1. Cod. si adversus credit. præsc. \**) sic quoque, quamvis actio retractus contra ipsos emptores, eorumque hæredes 30 annis intentari possit, contra tertios tamen possessores, novo titulo instructos lapsio tempore longo locum amplius eò minus inveniet, quò aliàs etiam res alienæ, quoad proprietatem, hoc tempore acquiri possunt. \*\*) quâ in sententiâ, & illud juris principium, quòd scilicet statuta, aut consuetudo talem in dubio capere debeant interpretationem, ut quàm minimè, quoad fieri potest, jus commune lædant, observatur.

*\* Disturnum silentium longi temporis præscriptione corroboratum, Creditoribus pignus persequentibus inefficacem actionem constituit: præterquam si debitores, vel qui in eorum jura successerunt, obligata rei possessioni incumbant. Ubi autem Creditori à possessore longi temporis præscriptio objicitur personalis actio adversus debitorem salva ei competit.*

*\* Sic insuper indubium est, quòd hæreditatis petitio 30. annis duret, & tamen, si tertius b. f. possessor quadam bona hæreditaria justo emptionis titulo tempore longo possederit, mediâ præscriptione se se tueri poterit.*

S. XLVIII.

*Terminus à quo retractus est tempus emptionis perfecta,*

**T**empora præscriptionum à momento, quo quis agere potest, currere & computari solent. Prout itaque contractâ emptione, venitione, quæ aliunde nudo consensu, traditione rei etiam nondum secutâ, perficitur, *princ. Instit. de empt. & vendit. L. contractus in fin. Cod. de fid. instrum.*, emptores saltem oblato pretio, statim agere valent,



valent. Et sicut insuper statuta, & consuetudines de emp<sup>licet in</sup> licet in  
 rione venditione loquentes, de propriè tali, qualis juxta ditio neco  
 mox citata est perfecta, satis verificantur, hinc pro termi. dum sit se  
 no à quo retractus tempus emptionis venditionis perfectæ, cura.  
 quamvis res nondum extradita sit, statuendum esse judico.  
 Ubi tamen, objudicialem insinuationem contractuum,  
 brevius tempus præfixum est, à momento talis insinuatio  
 nis terminum talem inchoari, certum est.

§. XLIX.

**Q**uatenus autem plus, quàm manifestum est, quòd in Si res sit  
 omnibus contractibus, in quibus sub aliquâ condi- vendita  
 tione, vel sub die certâ, vel incertâ stipulationes & promif- sub condi  
 siones, vel pacta ponuntur, post conditionis exitum, vel tione su  
 post institutæ diei certæ, vel incertæ lapsam, præscriptio- spensiva,  
 nes triginta, vel quadraginta annorum, quæ personalibus, terminus  
 vel hypothecariis actionibus opponuntur, initium accipi- à quo est  
 piant: ita quoque in casu, ubi res sub conditione suspensi- tempus  
 vâ vendita est, terminus à quo erit conditionis talis eveni- euenientis  
 tus. conditio  
 nis.

§. L.

**A**d hoc, ut quis cum effectu agere possit, ante omnia Obligatio  
 opus est, ut intra tempus legale præstanda ex parte pretii de  
 suâ præstet, sicut igitur emptor cum effectu non potest in- bet esse  
 stituere actionem empti, nisi præprimis doceat, pretium realis, &  
 à se esse exsolutum; ita quoque retrahens, in priori emp- quidem  
 toris locum surrogatus, ante omnia pretium totale cum ex- cum nu  
 pensis solvere, aut saltem illud actualiter, & realiter, primo meratione.  
 emptori offerre tenetur. Ita quidem, ut insuper requira-  
 tur, ut talis retrahere volens, pretium hoc de facto nume-  
 ret, aut saltem, ad id numerandum, se offerat, absque hæc,



numeracione enim constare non posset, an integrum pretium, id quòd tamen, de formâ retractûs est, oblatum fuerit. Pro casu autem, quo pretium esset illiquidum, sicut tum ob ignorantiam quantitatis, oblatio realis cum numeracione fieri non posset, ita tali in casu, verbalis sufficeret. Quæ pretii oblatio etiam tunc primo emptori legitime fieri potest, licet rem in alium rursus modò alienaverit, & transtulerit; Cùm retrahens, non in secundi, sed primi emptoris locum restituatur. Quamvis in talibus circumstantiis secundus emptor ratione possessionis simul citandus sit. Prout hoc quoque à Scabinatu nostro Trevirensi, in causâ N, contra S. in iudicio contradictorio, per sententiam ante aliquot annos, decisum fuit.

L I.

*Proximus  
consanguini-  
us aque  
per com-  
pensatio-  
nem ac per  
solutionem  
retrahere  
potest.*

**Q**uanquam quoad satisfactionis modum per compensationem quædam occurrat fictio, attamen quoad effectum ipsum hæc nihil aliud est, quàm vera solutio, brevi manu facta. Cùm intersit nostrà, potius non solvere, quàm solum statim repetere, per *L. 5. ff. de compens. ad cò*, ut statuto exigenti solutionem, per compensationem satisfiat quare hæc idem, quod solutio, in materiâ retractûs efficere poterit, modò compensandi animus intra terminum retractûs debite significetur.

§. L II.

*Antequam  
traditio  
precessit,  
& quis re-  
trahendi  
animus*

**P**er actualem declarationem, & interpellationem legitime factam retrahere volentibus jus suum in effectum prius exit, cùm itaque emptio venditio aliundè antè completa non sit, quàm res extradita fuerit, sic ante talem traditionem, & actualem declarationem contractus talis mu-



tuo dissensu tolli, aut etiam immutari poterit, absque eo, *debitè de-*  
quòd retrahentes desuper conqueri valeant. Nisi perci- *claravit,*  
nenter hi docere possint, talem distractum, aut immuta- *venditio*  
tionem, in fraudem retrahere volentium, unicè inducta *dissolvi &*  
fuisse. *immutari*  
*potest.*

LIII.

**A**ctio pro retractu competens, conditio ex moribus, *Actio re-*  
aut statuto appellari solita, in rem scripta est, prout *tractus in*  
hoc latissimè, cum aliis quàm plurimis, demonstrat, Ty- *loco rei sitæ*  
raquel *in suo tract. de retractu liniari, fol. mi 311. n. 8.* Ex *etiam co-*  
quo sequitur, quòd, sicut actiones in rem scriptæ, in foro *ram iudice*  
rei sitæ, institui possunt, arg. *L. un. Cod. ubi de possess. agi* *laico,*  
*opport.* idem de actione de retractu obtinere debeat. Ita *quamvis*  
quidem, ut, sicut actiones reales, aut in rem scriptæ rem *empres*  
potiùs, quàm personam afficiunt, idem juris esse putem, *sint Clerici,*  
sive possessores sint Laici sive Clerici, arg. *institui po-*  
*L. ult. Cod. ubi in* *test,*  
*rem actio, & cap. sanè 3 & ult. & de for. comp.* prout quoque  
ex ore, Colendissimi mihi Professoris Digestorum München,  
habeo, quòd hic viderit Rescriptum, à Regimine nostro  
Electoralis anno superiori, in causâ Gr. contra Th. editum,  
vi cujus retrahere volenti huic Laico, contra tales Cleri-  
cos declaratum fuerit, ut, si vellet, actionem suam retra-  
ctus coram iudicio Laico rei sitæ, instituere posset, Plura  
temporis angustia denegavit.

Positiones ex Universo Jure.

EX JURE NATURÆ.

- I. **A**quitari & sana rationi conforme est, ut res prestantior in juris  
consideratione ad se trahat minus prestantem, non vicissim.
- II. Cum igitur rei prestantia ex raritate & affectione potiùs, quàm usu a sti-

F

metur,



metur, magis ad rei pretium, quam usum & accessionem est respiciendum,

III. Quare sapissime fallax est principium: quod accessorium sequatur suum principale. Agnovit hoc de pietura Imperator Justinianus in § 34. instit. de rer. divis. ac proinde

IV. Accessio de jure natura aliter non est modus acquirendi legitimus, quam quod ille, si de cetero separatio amplius fieri non possit, fiat istius totius Dominus, cujus res pretio alteram superavit. Ex quo principio quoque

V. Sequitur, quod tum tantum specificans fiat specificati Dominus, si sua forma sit pretiosior, quam materia specificata: quare ex principiis juris natura vix fundari potest illa distinctio: an res ad pristinam formam reduci valeat? an non.

#### EX JURE PUBLICO UNIVERSALI.

I. Cui summa potestas politica concessa est, eidem omnia media, ad hanc cum effectu exercendam, necessaria concessa esse videntur.

II. Quare summa hac potestas ex justa causa quoad contractus in futurum, subditos suos ad paciscendum, contrahendum, aut promittendum inhabiles reddere potest. Quare

III. Contractus inter se distinguere, & singulis certam formam ac solennitates, itaque sub poena nullitatis, prescribere valet.

IV. Ex hoc principio quoque fluit, quod, pro casu, quo res publica pacta & contractus tales irritare potest, etiam juramenta iis firmandis adjecta in consequentiam irritare possit. Id quod ob rationis identitatem potestati politicae quoque concedendum est.

V. Ex quo tamen, quod superior subditorum suorum juramenta rescindere valeat, non sequitur, quod is juramentum proprium valide conceptum, nulloque vitio infectum rescindere possit.

#### EX JURE GERMANICO.

I. Jure Justiniano pacta successoria plerumque reprobata sunt.

II. Ex jure tamen Germanico successio pactitia obtinet; ut notorium est de pactis dotalibus, unione prolium, pactis familiarum illustrium. &



*Ganerbinatūs. de renuntiatione futura hereditati filiarum nobilium.*

- III. Inter cetera verò pacta simplicia, sicut alia dici solent acquisitoria, alia conservatoria, ultima, si scilicet heredes ab intestato alias successuri paciscantur, de hereditate sibi servandā, itā hac pro legitimis & consuetudine Germania probatis in ordine ad succedendum agnosco, signantet, si transactione firmata fuerint,

EX JURE CANONICO.

- I. **C**onditio siue naturā, siue de jure impossibilis pacta & stipulationes reddit nullas. Ita quidem, ut
- II. Sicut, quod de jure nullum est, nullum producit effectum, pactum tale etiam impletum nullum, quidquam desuper exigendi, titulum fundare possit.
- III. Quamvis enim verum sit, quod exactio post impletum turpe factum in se turpis non sit, quia tamen titulus exigendi deest, nihil jure exigi potest.
- IV. Si nihilominus sub conditione turpi promittens, post factum promissa sponte praestet, a persiciente, ob novum per dationem consensum intervenientem & praesumptam donationem, accepta retineri possunt.
- V. Favore etiam Matrimonii, qui in jure maximus est, hic contractus, nisi conditiones tales bono proles, Sacramenti, aut fidei immediatè opponantur, non vitiatur.

EX JURE CIVILI.

- I. **N**emo tam supina negligentia aut punibilis stupiditatis esse praesumitur, ut, de priorum annorum debito non protestando, per tres annos continuos apocham debitori suo extradat.
- II. Quare est, quod quis per tales tres apochas continuas super anteriore debito ita sibi praesudicet, ut nisi contrarium per manifesta argumenta probaverit, in totum succumbat, siue de publico, siue de privato debito quaestio sit.
- III. Sed sicut renuntiatio non extendit se ad incognita, ita quoque praesumptio non potest, nisi doceatur scientia eorum, super quibus renuntiatio

pra-



presumi potest. Hinc fundans se in talibus tribus apochis ante omnia docere debet, quod antea à creditore pro debitore fuerit agnitus, quòd- que tempore datarum talium apocharum Creditor sciverit, sibi pro praterito, ab eodem debitore quid debitum fuisse.

IV. Legitima, qua filiis debetur, non beneficio parentum, sed legis obvenit.  
V. Proinde illi per solam illam, ad adundas parentum hereditates, parùm excitarentur.

VI. Cùm itaque quarta Trebellianica introducta sit, ut testamenta & actus ultima voluntatis non destituerentur.

VII. Insupèrque haeres fiduciarius plus utilitatis, ob fructus, quos interim lucratur, ex fideicommissò conditionato, quàm absoluto habeat, filius haeres scriptus, sed rogatus restituere hereditatem legitimam & Trebellianicam indistinctè deducere poterit.

I. O. G. D.





© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale

M	Y	C	K	G	W	M	B	G	R	A
17	15	14	11	9	8	9	5	3	2	1
18	15	14	11	9	8	9	5	3	2	1
19	15	14	11	9	8	9	5	3	2	1



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
1	3	5	7	9	11	13	15	17
2	3	5	7	9	11	13	15	17
3	3	5	7	9	11	13	15	17
4	3	5	7	9	11	13	15	17
5	3	5	7	9	11	13	15	17
6	3	5	7	9	11	13	15	17
7	3	5	7	9	11	13	15	17
8	3	5	7	9	11	13	15	17
9	3	5	7	9	11	13	15	17
10	3	5	7	9	11	13	15	17
11	3	5	7	9	11	13	15	17
12	3	5	7	9	11	13	15	17
13	3	5	7	9	11	13	15	17
14	3	5	7	9	11	13	15	17
15	3	5	7	9	11	13	15	17
16	3	5	7	9	11	13	15	17
17	3	5	7	9	11	13	15	17
18	3	5	7	9	11	13	15	17
19	3	5	7	9	11	13	15	17

